





G. 8. num. 25.

F. H. 17

17

13  
MAGNIFICI JC TORVM ORDINIS  
IN HAC ALMA VNIVERSITATE ALTDORFINA  
AVTORITATE ET INDVLTV,

DE

1711.1

S. 24  
**PROBATIONE PER  
TESTES DE AVDITV  
ALIENO DEPO-  
NENTES.**

P R A E S I D E

**JOH. JODOCO BECKIO, D.**

ILLVSTRIS REIPUBL. NORIMBERG. ADVOC.

AD D. MARTII A. MDCCXL.

H. L. Q. C.


PVBLINE DISPVTABIT

**JOHANNES GEORGIVS TRÖLSCHIVS**  
WEISSENBURGO-NORICVS.

---

TYPIS KOHLESI ACAD. TYPOGR.





845.

SSS (3) SSS



A vultu tuo , Domine Jesu , Judicium meum pro-  
deat , & oculi mei videant aquitatem !

## CAPUT PRIMVM.

### DE PROBATIONE IN GENERE.

S. I.

**P**rincipia maximeque necessaria Judicij pars ea est , quæ in probatione versatur : in ea siquidem consistit tota virtus causarum , pondus litis & exitus totius controversiæ . Quicquid enim in judicium vocatur de eo ante Judex statuere nequit , quam si probatum sit , ita esse , ut intendimus . Si desint probationes , silent leges , Cadaver est justitia , Chaos Respublica , Crimina sunt nomina , & jocus poena , imo neque jus neque defuncti voluntas quicquam potest , ubi probatio deficit . Quo tandem fit , ut nisi probet is , cuius interest probare , cum alter obtinere nequeat , necesse sit , ut justo etiam sub Clypeo succumbat , & adversarius , etiam si hic nihil plane præstiterit , absolvatur l. 4. C. de edend. L. 2. C. de probat . cum paria sint jus non habere , & illud demonstrare non posse .

S. II.

Est autem probatio actus judicialis , quo litigantes Judici de facto controverso vel dubio per argumenta legitime fidem faciunt . Dixi 1) Judici , nam huic soli probatio facienda non adversario l. 12. in f. ff. de probat . quippe cui nunquam satis probaretur , eo semper tergiverlante vel negante , Gothofred . in not . ad d. l. 12 lit . y. & ipsum judicem ex actis judicare oportet , quid aut credat aut parum probatum sibi opinetur , ceu dicitur in l. 3. §. 1. 2. ff. de test . Hinc facile patet quid respondendum sit ad questionem a Dd. valde agi-

A 2

tatam



§. 36 (4) §. 36

tatam: an judex secundum acta & probata, an vero secundum suam conscientiam judicare debeat? vid. Hahn. ad Wesemb. tit. de probat. n. 10. Bachov. ad Treutl. v. 1. disp. 12 th. 14. lit. e. Harpprecht. ad §. 34. Inst. de action. n. 2. slegg. maxime Casp. Zieg. in Dicast. concl. 34 & 35. Solet autem judex probationem injungere per sententiam interlocutoriam, & quidem ei qui, quod incertum est, in judicium deditur, & in eo suam fundat intentionem, sive actor sit, sive reus, l. 2. g. 12. 19. ff. & l. 1. C. de prob. v. gr. hoc modo: Weil Beklagter auf die erhobene Klag wie recht geantwortet / und derselben nicht allenthalben geständig / ist Kläger den Grund seiner Klag / und so viel Ihme daran verneinet/ binnen 4 Wochen zu erweisen schuldig/ V. N. V. Dicitur 2) de facto controverso & dubio , hinc 1) excludunt Jura , quippe quæ probatione non indigent , cum per se judici pateant & nota sint , aut saltem esse debeant , l. 2. ff. de jur. & fact. ignor. l. 2. §. 43. ff. de O. J. quam in rem eleganter Aristot. 1. Rhet. 1. illorum namque , inquit , qui litigant , est demonstrare tantum , rem ita se habere vel non , vel factum quid esse aut non esse . Utrum vero parvum vel magnum sit , utrum justum aut injustum , ipsum judicem oportet cognoscere , & non discere a contraversantibus . Quo pertinet dictum Curiarum Galliæ a Mys. 5. O. 88. fn. relatum : venite ad factum , Curia enim satis intelligit Jura , conf. Vinn. L. 2. sel. qu. 11. Bachov. ad Treutl. v. 2. disp. 4. th. 1. lit. B. in verb. sive de Jure . Sane consuetudo nonnunquam probatione opus habet, l. 1. C. quæ sit long. cons. l. 34 ff. de LL. Lauterb. Conclus. Forens. Ex. 2. §. 15. idem dicendum , si dubiterur de receptione aut observantia Juris. 2) notoria quoque qua talia non indigent probatione, sed satis est si ea in judicio allegantur , c. 17. II. qu. 1. c. 9. X. de accusat. arg. l. 137. §. 2 ff. de V. O. ibique Gothofred. imo ridiculum fuerit si & ibi probationi locum esse contendas , ubi de omnibus litigantes convenient. Mys. 6. O. 3. Bachov. ad Treutl. v. 2. disp. 4. §. 1. lit. c.

§. III.

Additur 3) in definitione: *per argumenta*. Quod vocabulum εἰ πλάσται accipitur, & denotat omne id , per quod fidem facimus & rem

Q.G.

§. 5. (5) §. 5.

& rem confirmatus, L. 5. C. de fid. instr. Cum vero hæc argumenta sint vel *ērte&va* seu artificialia, quæ arte & industria probant ex ipsa causa ejusque circumstantiis deducuntur, eaque vel necessaria, quæ ex ipsis causis naturalibus & Physicis desumuntur, & alter sepe habere non possunt, vel probabilia, quæ ex verisimilibus rationibus deducuntur, unde præsumtio, de qua fuse egit Menoch. de præsumt. vel *ērte&va* seu inartificialia, quæ extrinsecus assumuntur, veluti per testes, instrumenta, juramentum &c. prodit hinc olim a Philosophi tradita, postea omnium JCtorum calculo recepta probatio divisio in artificiale sc. & inartificiale. Dein, cum hæc argumenta ita sint comparata, ut quædam plenam ac sufficientem fidem faciant, quædam non plenam & insufficientem, hinc probatio haud inconcinne iterum dispescitur in plenam & minus plenam. Et quamvis hanc Divisionem multi impugnant, e quibus Donell. L. 24. c. 19. Majer. Colleg. Argent. ad tit. de prob. n. 3. Wissemb. Disp. ad ff. 43. b. 3. Anton. Faber. Dec. 19. error. pragm. I. commentitiam plane esse hanc divisionem audacius quam verius afferentes, eam tamen non tantum communis Dd. schola tenet, vid. Struv. Ex. 28. b. 5. ibique in Evolut. & Müller in not. lit. 8. Treutl. v. 2. disp. 4. th. 2. ibique Bachov. Lauterb. Colleg. th. Pract. tit. de prob. §. 5. seqq. Hillig. ad Donell. L. 24. c. 19. Vinn. L. I. sel. qu. 44. & Praxis confirmat, vid. Myns. I. O. 68. n. 6. Gail. 10. O. 108. n. 6. Mev. P. 4. dec. 155. n. 4. Carpz. Proc. tit. 12 art. 2. n. 22. & 23. Christin. v. 3. dec. 2. n. 14. sed etiam ea insuper in Jure communi est fundata, vid. L. 3. §. 1. 2. ff. de test. c. 3. IV. qu. 2. 3. c. 2. X. de prob. c. 4. X. de test. L. 3. C. de reb. cred. l. 5. 6. C. de prob. arg. l. 31. ff. de jurejur. & in Ordinatione Criminali Car. V. art. 30. expresse approbata, in verb. : eine halbe Beweisung.

§. IV.

Plena itaque probatio dicitur, quæ sola & per se judici tantam fidem facit, ut jure ipsum possit mouere ad ferendam sententiam, quo pertinent 2. testes omni exceptione majores, publica, & non-nunquam privata instrumenta, Juramentum, &c. De his modis latius videri merentur Berlich. p. 1. concl. 36. Mascard. de probat. v. 4. A 5

concl. 4.

*concl. 4.* ubi septem modos, male tamen inter eos famam refert. Minus plena, quæ Judici aliquam quidem facit fidem, sed non tantam, ut inde possit causam decidere, nisi adminiculo quodam sufficienti alio sit suffulta. Species ejus non possunt una definitione comprehendendi, adeo, ut Carpz. *Proc. tit. 12. art. 2. n. 26.* non vereatur asserere, gratum fore tam judici quam litigantibus, si, quænam probatio sit pro semiplena habenda, certa possit præscribi regula; vulgo tamen in Praxi huc referri solent, unicus testis, scriptura privata, Comparatio literarum, Fama, confessio extrajudicialis, &c. conf. Lyncker. & Stryck. *differ. de semipl. probat.* Hunn. *Encycl. p. 2. tit. 12. c. 1.* Vmm. de *Proc. disp. 8. b. 1. 2. 3. seqq.*

## §. V.

Hæc minus plena probatio suos admittit gradus, est enim vel semiplena major, quæ fit per 2. testes, quorum unus omni exceptione major, alter non, Lauterb. *Coll. th. tract. de prob. §. 8.* item si quis producat 2. testes, quorum unus de veritate contractus, alter vero de confessione illius extrajudiciali deponat: confessio enim extrajudicialis per unum testem probata leviorum efficit præsumptionem, Berlich. *p. 1. Concl. 36. n. 124.* vel semiplena, huc pertinet testis omni exceptione major, vid. *Ord. Crim. Car. V. art. 30.* confessio extrajudicialis, *l. 58. ff. de adilit. edict. comparatio literarum, Nov. 73. c. 1. 2. de consuetudine,* secus de Jure, *l. 6. 7. C. de prob. rationes & libri Mercatorum & opificium modo legitimata ad sint requisita, de quibus Dd. ad tit. ff. de fid. instr. vid. Lauterb. disp. de Jur. in Curia Mercat. usit. b. 285. seqq. & in Concl. Forens. Ex. 46. b. 17. add. Reform. Noric. Tit. 8. L 7. rubr. von der Kaufleuth oder anderer Handthierenden Schuld- und Handels-Büchern/ vel semiplena minor, ut sunt unicus testis non omni exceptione major, literæ privatæ, præsumptiones leviores, conf. Struv. *S. J. C. Exerc. 28. b. 5. Mev. p. 5. dec. 173.* Hunn. *Encycl. p. 2. tit. 12. c. 1.* Berlich. *p. I. concl. 36. n. 115.**

## §. VI.

Quod si minus plena probatio sufficientibus aliis adminiculis sit adjuta & munita, plenam gignit fidem, *l. 5. C. de prob. l. 3. §. 1. 2. ff.*

\*\*\* (7) \*\*\*

2. ff. de test. Sic libri Mercatorum semiplene tantum probantes accedente unius testis omni exceptione majoris depositione plene probant, Carpz. P. i. C. 17. def. 36. Sic quoque unus testis depo- nens de veritate contractus semiplene illum probat, sed accedente partis confessione extrajudiciali 2. testimoni depositione suffulta probatio plena erit. Menoch. L. 1. pref. qu. 41. n. 2, Mascard. consil. iii. n. 2. Si vero illa probatio tali adminiculo, quo possit suppleri, careat, tunc ei, qui ita minus plene probavit, aut si uterque & actor & reus semiplene probaverint, ei qui graviorem & meliorum probationem, majoremque veritatis & victoriae presumptionem pro se habet, arg. c. 3. §. 1. in fin. X. de prob. L. 3. §. 2. ff. de testib. add. Reform. Nor. tit. 7. L. 9. §. 3. Hätte aber ein jeder theil Struv. S. J. C. Ex. 17. §. 43. desertur juramentum necessarium seu suppletorium, ut ita plena fides indeque sufficiens probatio inducatur, & causa dubia decidatur, L. 3. C. de reb. cred. L. 31. ff. de jurej. Ref. Nor. d. L. 9. §. 1. 2. & L. 7. §. 1. ibi: alsdann mag ihnen der endliche Eyd zu volliger Beweisung ertheilt werden. Bachov. v. 1. diff. 21. §. 10. lit. a. verb: sed quae hic dicenda, Vinn. L. 1. sel. qu. 44. Myns. I. O. 68. Mev. p. 5. dec. 282. (Dissent. Donell. L. 24. c. 19. lit. P. Q. seqq. Anton. Faber. dec. 19. error. pragm. i. contendentes juramentum suppletorium tunc demum locum habere, cum uterque plene probaverit, ut par utrinque sit probatio.) Nisi tamen 1) minus quam semiplene fuerit probatum, quo casu juramentum purgatorium adversus eum, qui suspicionibus gravatus est, decernitur, Lauterb. Coll. th. Pract. tit. de prob. §. 9. Hillig. ad Donell. L. 24. c. 19. lit. y. p. 1283. in fin. 2) probati- ones sint utrinque æquales, cum una semiplena probatio alteram tollat, extinguat, & elidat, quo casu perinde habetur ac si nihil probatum esset, arg. L. 112. ff. de R. J. c. 3. §. fin. X. de prob. vid. post Bachov. Lauterb. Coll. th. Pr. tit. de jurej. §. 74. Frantz. ad a. tit ff. n. 31. & seqq. Vinn. L. 1. sel. qu. 44. vid. §. fin. b. cap. 3) cause sint arduæ & magnæ, vid. Myns. I. O. 68. n. 4. in quibus propter metum perjurii non juratur in item, nisi plus quam semiplene sit probatum, Vinn. c. l. in fin. Gail. I. O. 108. n. II. & 2. O. 94.

b. 8.

n. 8. Carpz. proc. tit. 12. art. 2. n. 60. id tamen operatur hic semi plena probatio, ut locus fiat juramento purgatorio, Stryck. introd. ad Prax. c. 20. §. 12. Brunnein. Proc. civ. c. 23. n. 4. add. Joh. Samuel Stryck. dissert. de offic. judic. circa pejerat. §. 15. 4.) Criminales, in quibus juramento suppletorio ne quidem tunc, cum plus quam semiplene probatum, locus dari debet, quia in hisce requiruntur probationes luce meridiana clariores, l. fin. C. de prob. l. 16. C. de pæn. c. 2. II. qu. fin. vid. antea alleg. Dd. Bachov. ad Treutl. v. 1. disp. 21. b. 10. lit. a. verb: non vero in criminalibus, in fin. Hil lig. ad Donell. L. 24. c. 19. lit. 7. pag. 128t. Fachin. L. I. contr. 15. Hoc tamen limitatur in defensione Rei, ubi pro ejus innocentia probanda sufficiunt probationes imperfectæ, cum Jura promitoria sint ad absolvendum quam ad condemnandum, l. 47. ff. de O. & A. l. 125. ff. de R. I. Gail. L. I. de P. P. c. 15. n. 21. Berlich. p. 4. concl. 14. n. 16. & in criminalibus civiliter ad satisfactionem, vel criminaliter ad poenam pecuniariam irrogandam, intentatis, l. 35. §. 1. ff. de jurej. Carpz. Proc. tit. 12. art. 2. n. 73. & 78. Mynf. 2. O. 87. Gail. Bachov. c. 1. Plures casus in quibus semiplena probatio superli nequit recenset Muller. ad Struv. Ex 17. b. 43. lit. A. Berlich. P. I. concl. 54.

### S. VII.

Delatum hoc juramentum omnino prestandum est, c. 36. fin. X. de jurej. nec referri potest, non judici, quippe a quo, ut ipse suo juramento imperfectas partis probationes suppletat, sana ratione peti nequit: illius enim officium est, secundum acta & probata judicare, non vero in causa ab ipso decidenda testimonium dicere, c. 2. IV. qu. 4. non parti, refertur enim unde illatum est. Qui itaque Juramentum non detulit, illi juramentum referri nequit, l. 34. §. 7. ff. de jurej. non obstante L. 12. §. 1. C. de reb. cred. confer. Lauterb. disp. de relat. jurisj. b. 47. Carpz. Proc. tit. 12. art. 2. n. 87. seq. Berlich. p. 1. concl. 32. n. 35. Vinn. L. I. sel. qu. 43. Hillig. ad Donell. L. 24. c. 20. lit. Nn. nec etiam a judice remitti, l. 3. C. de reb. cred. l. 31. ff. de jurej. quia non est dominus litis sed adversarius, qui ob id solus delicti gratiam facere potest, eo ef-

eo effectu ut pro præstito habeatur, Vinn. c. l. quin tamen judex delatum ex justissima causa v. gr. si suspicio postea accedat, futurum ut pejeret ille cui delatum revocare possit, aut adversario contrariam probationem offerre licet, nulli dubitamus, Brunnem. Proc. civ. c. 23. n. 27. conf. Joh. Samuel Stryk. *dissert. de officio iudic. circa pejerat. vel otiose jurat.* §. 13. add. §. 10. & II. Sed annon is cui hoc juramentum impositum est; si ad probationes velit confugere, iisque intentionem suam probare, audiendus erit? Neg. hoc Carpz. *de proc. tit. 12. art. 2. n. 94.* Lauterb. Coll. th. Pract. tit. de jurej. §. 78. Suevus in *dissert. de prob. pro exoner. conf.* c. 2 n. 24. 25. Berlich. p. 1. *concl. 33. n. 1.* Nos contrariam sententiam utpote veriorem & æquiorum cum Stryk. in cit. *dissert. de semipl. probat.* c. 3. §. 3. & in us. modern. ad ff. tit de jurej. §. 26. amplectimur: juramentum enim hoc non aliter defertur nisi in subsidium quando se, aliis causæ exitus non reperitur, adeoque inopia probationum adest, l. 31. ff. *de jurej. ibique Brunnem.* c. 2. x. *de probat. arg.* l. 16. ff. *de min.* imo, si etiam, postquam præstituu & sententia lata, ob novas probationes retractari potest, l. 31. ff. *de jurej.* Lauterb. c. l. §. 79. Carpz. p. 1. C. 15. def. 5. Donelli. & Hillig. l. 24. c. 19. lit. Bb. seq. cur non idem declinari ob probationes ante juramentum noviter repertas? quia sic evitantur juramenta frustranea & otiosa. Inhæremus itaque merito regulæ Juris, qui conscientiam probationibus defendere cupit, non tenetur jurare, donec hæc exceptio fuerit verificata. Quod si mortuus sit cui hoc juramentum fuit delatum, suscepsum pro præstito haberi, ita ut simpliciter pro heredibus sit pronunciandum, communis Dd. schola docet, eo quod nemo salutis æternæ immemor & in peccato cum mendacio mori velle præsumatur, l. fin. C. ad Leg. Jul. repetund. c. 26. XXXI. qu. 7. vid. Gail. 2. O. 43. Myos. I. O. 13. Carpz. l. 6. resp. 120. quæ tamen sententia merito in dubium vocari potest, tum propter l. 12. pr. C. de reb. cred. ibi: ab hac forte luce subtrahantur, probationes autem rerum cadant, tum quod præsumtio illa partim propter mortem saepe ex improviso contingente, partim propter perversam hominum malitiam

maxime exulceratissimo hoc seculo, ubi fides deficit & studium bonorum operum refrixit, saepissime fallat, imo contingere potuisse, ut defunctus in ipso etiam jurandi procinctu religione aut conscientia, ne jurare vellet, impeditetur, vid. tamen Lauterb. *disput. de relat. jurisj.* b. 22. 23. seqq. Sane, in Jure nostro statutario communis Dd. opinio est approbata, vid. *Reform. Nor. Tit. 2. L. 9. §. fin.* und wo also dem Kläger oder Antworter nach Erfüllitus des Gerichts ein endl. Eyd auferlegt / und Er sich dessen in Gericht erbieten/ aber in zeit hängender Rechtsfertigung absterben würde/ so soll dasselbig sein Erbieten dafür gehalten werden/ als hätte Er den Eyd wircklich vollführt und erstattet. Quid in heredibus defuncti obtineat, an hi ad juramentum admittendi, vid. *Dd. ad tit. de jurejur. add. Textor. disp. de fide libri Mercat. mortui.* b. 18 - 22.

## §. VIII.

Occurrit 4) in definitione supra §. 2. proposita vocabulum *legitime*. Hinc requiritur 1.) ut is qui intentionem suam probare vult, conficiat articulos probatoriales subjecta Specificatione documentorum vel testimoniis cum directorio, eosque tempore legitimo, vid. §. 9. 10. b. cap. judici simul cum copiis instrumentorum offerat, & petat, ut parti adversae communicentur, insimulque terminus productionis præfigatur, parsque adversa & testes ad illum ecentur, *Carpz. proc. tit. 13. art. 4. §. 1. & tit. 14. art. 1. Brunnem. cap. 20. n. 38.* Formulas offerendi articulos exhibet Beyer in *Volckmann. emend. P. 1. cap. 63.* Sint autem articuli perspicui, non obscuri, non captiosi aut contrarii, succincti ne πολυζῆνται continent, & ex narratis, vel ut vulgo loquuntur, e libelli visceribus de promiti, ita ut libello atque proposito actioni conformes sint, vid. l. 21. in. fin. C. de prob. alias opponi solet exceptio articuli impertinentis, quamvis in dubio sub clausula: Salvo jure impertinentium, de qua vid. Myns. 2. O. 56. admitti soleant. conf. *Carpz. c. 1. §. 2. seqq. Gail. 1. O. 79. 81. & 82.* & plura fusissime cuncleata vid. apud Rutger Ruland *de commiss. p. 3. L. 1. per tot. & Marcell. Cala in insigni tract. de modo articulandi.* 2.) Ut ad instantiam producen-

ducentis hujusque sumtibus arg. t. n. §. i. ff. ad exhib. a judice interdum autem a Commissario citentur a) testes vel directe, si sint sub judicis examinantis ictione, vel si sint extranei per literas, subsidiales seu requisitoriales, quibus judex de causa cognoscens requirit judicem, sub cujus ictione testis commoratur, ut super articulis & interrogatoriis transmissis testem ictioni sua subjectum examinet, & depositionem obsignatam remittat. Ruland. *de commiss.* L. 5. part. i. c. 4. vid. Reform. Nor. tit. 7. von Verhörung ausländischer Zeugen L. 8. §. 50 einer Parthen Nothdurft ic. quandoque etiam rogat judex causa, ut magistratus testem ad depositionem sistat, quod posterius tamen raro fieri solet, teste Ruland c. l. Quod si testes sint personæ egregiæ vel senio consecræ, ad illorum ædes mitti solent deputati, coram quibus jurant & examinantur, l. 15. ff. de jurec. c. 8. X. de testib. Mev. p. 4. dec. 264. Menoch. arbitr. jud. cas. 70. n. 9. B) citetur pars adversa ad Instrumenta in Originali producenda recognoscendum vel jurato diffidendum, item ad videndum produci & jurare testes, & ut possit excipere contra vitia manifesta aut exceptiones sibi reservare. vid. §. 13. b. cap. & exhibere interrogatoria super quibus testes simul examinandi. Brunnem. proc. cap. 20. n. 46. seqq. Stryk. introd. ad Prax. c. 18. §. 3. 4. Semper itaque citationi copia articulorum cum denominatione testimoniū inferenda, ut pars adversa in testimoniū habilitatem inquirere & interrogatoria formare queat, c. 2. de testib. in 6to. de quibus vid. Martin. Proc. Sax. tit. 20. §. 2. Stryk. c. l. §. 5. 6-11. Ruland. *de commiss.* p. 4. add. Joh. Samuel Stryk. dis fert. de interrog. incep. γ) producenti quoque dies Examini destinata intimetur, id quod sit per Memoriale, Germ. Gedenk-Actuul.

## §. IX.

Requiritur III) ut probatio suscipiatur post Litem contentam ante causæ conclusionem & sententię publicationem, t. t. X. ut lit. non contib. Interdum tamen ante L. C. ad perpetuam rei memoriam testes recipiuntur necessitate sc. exigente, veluti si testes sint decrepiti, valetudinarii, peregrini

versentur in loco pestilente , vel longum & periculosum iter suscipiant , & incertum sit an vel quando revertantur , utut publicatio non prius fiat nisi lite contestata , vid. c. 5. X. ut lit non contest. Reform. Nor tit. 7. L. 7. rubr. von Zeugschafft zu ewigen Gedächtniss conf. Müller in not. ad Struv. Ex. 28. 6. 43. lit. A. Hahn. ad Wejemb. tit. de testib. n. 5. Carpz. proc. civ. tit. 13. art. 7. Ruland. de commiss. p. 2. L. 1. c. 3. plures causas exceptos vid. in saepe cit. c. 5. Sic quoqu<sup>e</sup> exceptiones dilatoriae declinatoriae ante Lit. contest. ut opponende ita & probande. l. 16. C. de judic. l. 13. & 24. C. de procur. l. pen. & fin. C. de except. sic & exceptiones peremptoriae privilegioriae ut rei judicatae, transactionis, iurisjurandi, ante L. C. opposita probari debent, conf. Zang. de except. p. 3. c. fin. n. 40. Brunnen. proc. civ. c. 6. & 16. n. 5. seq. Carpz. proc. tit. 9. art. 1. §. 2. 3. & art. 7. §. 4. 5. c. 1. 2. de lit. contest. in 6<sup>o</sup>. Quandoque etiam post causae conclusionem nec non sententiae publicationem probationes admittuntur , sc. in Criminalibus ad probandam Rei innocentiam. Manz. ad art. 74. Ordin. Crim. & si instrumenta noviter fuerint reperta , quod tamen iuramento probandum. l. 31. ff. de jurejur. L. 35. de re jud. L. 19. C. de transact. Struv. Exerc. 28. 6. 32. add. Exerc. 44. 6. II. & Ex. 17. 6. 35. 36. ibique Muller. vid. Mysl. 4. O. 60. & 6. O. 36. ubi plures causas recenset. Hillig. ad Dorell. L. 17. cap. 12. lit. P. Gail. 1. O. 105. n. 4. & 5. O. 71. n. 77.

## §. X.

Ante omnia autem probe attendendus est terminus probatorius seu probationi praefixus, qui de Jure communii et Camerali judicantis arbitrio relictus , qui secundum qualitatem causae & personae nec non secundum distantiam locorum moderare solet, quantum tempus ei cui onus probandi incumbit ad deducendas probationes debeat indulgeri. vid. L. 1. 7. C. de dilat. ibique Brunnen. c. 4. §. spartium III. qu. 2. vid. tamen c. 1. de restit. spol. in 6to Ordin. Camer. p. 3 tit. 16. §. Was aber/ Recess. Imp. de a. 1654. 6. den punctum probationis betreffend 10. vers. nach Gestalt und Gelegenheit der Sachen und Partien gemahigt &c. & §. 14. vers. nach Ercheinung der Zeit. De Jure Saxon. est 6. septimanarum & 3. dierum Conf.

*Const. Elect. Sax. 16. p. 1. pr. & §. 1. in fin. & Ordin. Proc. Sax. tit. 20.* & currit a momento quo sententia probationem injungens transit in rem judicatam , ad momentum , in tantum ut etiam dies feriati includantur, l.3 vers. feria C. de dilat. vid. Carpz. Proc. tit. 13. art. 1. §. 3. 4. Bardili Consol. forens. Exerc. th. De clausula exclusis feriis, vid. Concept der Kammer-Gerichts Ordnung p. 3. tit 21. Ruland. de commiss. p. 1. L. 2. c. 7. n. 11. Eo elapsō probaturus non amplius auditur , sed causa cadit & adversarius absolvitur, arg. l. 13. §. 4. ff. de excusat. ibique Brunnen. n. 1. Rec. depur. spir. de A. 1600 §. Dennoch auch nunmehr 92. vers. alle termini prejudiciales sind. Ordin. Cam. Ratisb. de a. 1507. tit. 36. §. 17. vers. so derjenige/hinc ita solet pronunciari: dass Kläger an seinen ihm zuerkommenen Beweis sich nunmehr verfüsst / derohalben Beklagter von angestellter Klag zu entbinden. Sufficit tamen ex observantia currente adhuc termino, sicut ultimo ejus die, articulos saltem probatorios ac nomina testium copiasque documentorum offerre, licet testes jurato recepti examinati, aut originalia documentorum recognita nondum fuerint. Carpz. c. 1. §. 6. & L. 3. Resp. 49. vid. Myns. 6. O. 57. ubi plures diversos adducit casus qui notari merentur. Imo de Jure communii instrumenta etiam post terminum probatorum produci possunt, c. cum dilectus 9. X. de fid. instrum. Wesemb. tit. de testib. n. 5. Myns. 6. O. 56. Gail. 1. O. 105. n. 5. Per Recess. Imp. de a. 1654. §. 24. in fin. cautum, ut actor una cum libello omnia instrumenta probatoria offerre possit in copia, quo illa simul in citatione Reo communicentur, post L. C. vero in altero termino in Originali producenda sunt, d. Rec. §. 45. ibique Text.

## S. XI.

Sed si is cui probatio est injuncta justo ac legitimo detineatur impedimento , quo minus probations suas intra terminum expedire possit , recte a judice novam dilationem petere valet, l. 7. ff. de fer. Ordin. Cam. p. 3. tit. 15. §. 11. vers. und dilationem zu bitten R. Imp. noviss. §. 50. ibi : dass nach Verfließung des ersten termini probatorii oder ersten dilation die 2te dilation ertheilet werde. Brunnem. proc. civ. cap. 6. n. 12. que de Jure Ordin. Cam.

p. 3. tit. 50. a tempore concessionis cursum suum incipit. Ne vero litigantes in infinitum protrahantur, malitiisque litigantium cum magno adversae partis præjudicio nimium indulgeatur, ultra quartam non conceditur dilatio, nec illa quidem aliter quam cum solennitate legali, præstito sc. juramento, quod non malitiose & dolose petatur, immo quoquaque petatur nunquam ea sine causa cognitione danda vid. *Ordin. Camer.* p. 3. tit. 16. §. was aber dic dilationes, Myns. I. O. 70. 72. Gail. L. 1. O. 91. Ruland. de commiss. p. 1. L. 2. c. 8. De Jure Civili quid obtineat, vid. l. fin. & 7. ff. de fer. & dilat. Lauterb. Colleg. theor. pract. d. t. §. 32. & tit. de prob. §. 30. De Jure Sax. vid. Carpz.

Ex Recessu Imp. noviss. de a. 1654. §. den punctum probationum heterostend 50. ibique Textor. disp. 4. §. 66. non nisi tres dantur dilationes, & in tertia eadem requiritur solennitas, qua alias in quarta dilatione danda requirebatur, add. Brunneiman. ad l. 7. ff. de dilat. & fer. & in Proc. c. 6. §. 9. 10. seqq. Gail. L. 1. O. 91. n. 16. Myns. I. O. 72. Et quamvis de Jure Camerali quavis dilatio iterum prorogari possit, p. 3. tit. 16. §. 6. hoc tamen per dictum Recessu noviss. §. 50. iterum est mutatum. Plura de hoc termino probatorio habet Martin. ad. Proc. Sax. tit. 20. §. 4. 5. Carpz. in proc. tit. 13. art. 1. Nicolai p. 1. c. 48. item de ejusd. prorogat. c. 49.

## S. XII.

Hisce peractis instrumenta in Originali producta, a parte adversa in termino rite sunt recognoscenda aut jurato diffitenda, aliquin in contumaciam pro recognitis declarantur, de quo pluribus vid. Muller. ad Struv. Ex. 28. §. 24. lit. e. Carpz. proc. tit. 14. art. 1. 2. 3. Martini tit. 25. §. 2. Si tamen producuntur diffessioni juratae Rei valorem instrumenti committere nolit, si forte illum in jurendo facilem noverit, scripturam instrumenti per comparationem litterarum probare poterit, vel recognitionem instrumenti per testes fieri curabit, Stryck. introd. ad prax. forens. c. 19. §. 9. 10. Carpz. art. 3. n. 66. & 78. seqq. Testes etiam a judice in præsentia partium prævia admonitione terja de evirando perjurio ejusque poena juramento obstringendi, l. 9. 14. 19. cum Auth. sed & si quis C. de testib. c. 51. X. eod. c. 20. III. qu. 9. nisi partes hoc remittere velint, c. 39. X. de te-

de testib. Ref. Nor. tit. 7. L. 4. §. und dieser Eid / & seq.  
 ipsum vero Examen testimoniū, de quo cit. Stryk. c. 18. §. 13. 14.  
 Martini tit. 20. §. 3. n. 210. segg. ex notoria totius Germaniæ con-  
 suetudine remotis partibus fieri solet, secus ac de Jure Civ. vid. 1.  
 19. C. de test. l. 18. C. de fid. instrum. Hillig. ad Donell. L. 25. c. ult. lit. 2. R.  
 p. 1379. Hahn. ad Wesemb. tit. de testib. n. 9. Vmm. disp. de proc. 16. th  
 10. n. 64. Finito examine testibusque silentio imposito dimissis  
 conficiendus est rotulus seu instrumentum in quo testimoniū depositi-  
 ones continentur, de cuius modo vid. Rec. Imp. de a. 1654. §. 52.  
 Postea antequam attestatorum publicatio fiat, adhuc permittitur  
 1) ulterior testimoniū productio, quæ tamen ultra quartam extendi  
 nequit, & quidem hæc quarta aliter non permittitur, nisi quis ju-  
 ramento affirmet, se eam dolo malo non petere neque testificata  
 aliquo modo didicisse, sed quia quos producere de novo desiderat,  
 prius habere nequiverit, c. 15. 36. & pen. X. de testib. Nov. 90. c. 5.  
 auth. at qui semel C. de prob. ibique Brunnen. Sed Rec. Imp. de  
 a. 1654. §. den punctum probationum &c. solennitatem quartæ  
 productionis in tertiam refudit. 2) Reprobatio der Gegenbe-  
 weis, a parte altera eo modo peragenda uti ipsa probatio, de qua  
 Carpz. proc. tit. 13. art. 2. Martini Proc. Sax. tit. 21. add. Joh. Sa-  
 muel Stryk. differt. de reprob. in spec. post. public. attestat. c. 2.  
 & 3. Hæc itaque ante publicationem attestatorum adhuc facienda  
 sunt, nam post eam ob metum subornationis, neque ulterior te-  
 stimoniū productio, exceptis certis casibus de quibus Berlich. p. 1. con-  
 cl. 40. Gail. 1. O. 105. Myns. 1. O. 41. 3. O. 17. 5. O. 13. 6. O. 56. Brun-  
 nem. c. 20. n. 84. add. Sonnem. ad Nov. 90. c. 5. neque de Jure Sa-  
 xon. & hodierno regulariter Reprobatio admittitur, vid. Carpz. c.  
 art. 2. quamvis contrarium contra Carpz. & Dd. Saxon. late de-  
 fendant Stryk. cit. differt. c. 3. §. 15. seq. usque ad fin. De Jure  
 communi reprobationem quandocunque etiam post publicatas at-  
 testationes suscipere licere ob c. 19. X. de testib. c. 9. X. de fid. in-  
 strum. c. 25. 35. X. de testib. volunt Hartm. Hartm. L. 2. tit. 12. O.  
 §. n. 1. 2. Müller. ad Struv. Ex. 28. 9. 47. lit. B. Dissent. Gail. 1. O.  
 105. n. 2. aliisque plures ob text. Clement. 2. de testib. Sequitur  
 deinde

dein publicatio attestacionum, ad quam partes citandæ, potentibus que copia depositionis testium communicanda, ut inde, quid deposuerint testes videre & ulterius Jura sua deducere possint. Brunnenm. proc. civ. c. 20. n. 82, ubi simul a Judice terminus præfigit sollet 3, intra quem contra rotulum excipendum. Textor. ad Recess. Imp. de a. 1654. disp. 4. th. 68.

## S. XIII.

Publicationem attestacionum exicit attestacionum disputatio, ubi disceptatur quantum per instrumenta producta & recognita probatum, nec non de Examiniis solennibus, habilitate & fide testium eorumque dictis. Struv. s. J. Civ. Ex. 28. l. 48. ibid. Muller Stryck. c. 18. §. 19. Licet enim exceptiones contra instrumenta & personas testium tempore productionis opponendæ, nec post publicatas attestaciones amplius admittantur, vid. c. 31. X. eod. Myns. 6. O. 76. n. 2. Reform. Noric. tit. 6. L. 2. I. Hätte aber der Gegenthell / hoc ipsum tamen fallit 1) si adversarius testium inhabilitatem tempore productionis ignoraverit & probare possit, se eandem ex postfacto demum didicisse, 2) si iuramento affirmare queat, quod non dolo malo exceptiones contra testium personas omisericet 3) si in ipsa die productionis sibi reservaverit exceptiones competentes, d. c. 31. X. de testib. quod posterius usu fori maxime frequentatur, vid. Lauterb. Coll. theor. pract. tit. de testib. §. 37. quibus addi potest 4) si exceptio testi opposita dubia sit & incontinenti probari nequeat, quo casu illius justificatio a judge reservatur ad tempus disputationum. Stryck. introd. ad prax. forens. c. 18. §. 4. Lauterb. c. 1. In Camera exceptio contra personas testium procedit sine protestatione publicationem præcedente, adeoque tenor d. cap. non servatur teste Gail. i. O. 87. n. 5. & obs. 105. n. 17. Textor. c. 1. idem obtainere in Saxon. testatur Carpz. tit. 13. art. 5. §. 1. & art. 6. Quomodo autem testimonia impugnari & defendi possint, præter Dd. ad tit. ff. & c. de testib. amplissime ostendit Farinac. tr. de testib. Nevero multitudine scriptorum modus excedatur, ideo hodie Deductione probationis & Duplica abrogatis utrius partis unum duntaxat prud-

ductum, cum quo simul concludat, permisum, Productio sc. Exceptio contra personas & dicta testium, die Exception Schrift/ Producendi replicatio, die Salvation Schrift sive Elision Schrift vid Rec. Imp. de a. 1654. §. und deumach 56. & seq. §. ebenmassig 57. ibique Textor diff. 4. tb. 69. 70. De Jure Saxonico bina scripta ab utraque parte admittuntur, ita ut productus duplicit, producens triplicet, posteaque concludatur, vid Carpz. in proc. tit. 15<sup>o</sup> art. 1. n. 37. seqq. De Jure Norico singulis parribus pariter unicum tantum Scriptum conceditur, & postmodum concludendum. Vid. Reform. Noric. tit. 6. l. 2. §. nachdem dann heede Parthenen. Quod si reprobatio quoque suscepta fuerit, hac cum probatione in eodem scripto disputari & defendi solet. Carpz. d. l. n. 47.

## §. XIV.

Facta Conclusione in causa tandem Judex decernit sententiam, adeoque si e. gr. actor intentionem suam plene probaverit, add. §. 6. b. cap. condemnatur Reus, eo autem non probante, reus absolvitur, l. 6. ff. de prob. L. 4. C. de edend. Bachov. ad Treutl. v. 2. diff. 8. lit. c. d. Si tamen Reus graviori presumtione vel fulpicio gravatus sit, non simpliciter sed prævio juramento purgatorio absolvendus est, Mev. P. 1. Dec. 8. n. 11. & P. 8. dec. 368. Stryck. introd. ad prax. for. c. 20. §. 13. Quod si uterque probaverit, & probationes sint æquales, is absolvendus qui gravorem & meliorem probationem majoremque veritatis & victoriae presumptionem pro se habet, l. 21. in fin. ff. de testib. c. 32. X. eod. l. 114. ff. de R. J. add. cap. 9. X. de prob. c. 3. §. f. X. eod. Ref. Nor. tit 7. l. 9. §. 3. hätte aber/in dubio vero si sc. utriusque probatio per omnia æqualis roboris esse videatur, pro Reo pronunciandum erit, cum iuria priora sint ad absolvendum quam ad condemnandum, neque enim probasse dici potest, qui æqualiter cum adversario probavit, cum ipsum in probando vincere debeat, vid. c. 35. §. fin. X. de probat. c. 6. in fin. X. de fid. instrum. arg. l. 38. ff. de re judic. l. 47. ff. de O. & A. l. 188. ff. & c. 11. de R. J. in 6<sup>o</sup>. Menoch. de arbitr. jud. L. 2. qu. 98. Wesemb. p. 1. cons. 13. n. 3. Carpz. proc. tit. 13. art. 3. n. 75. Berlich. p. 1. concl. 53. n. 22. Hahn. ad Wesemb. tit.

de jurej. n. 10. Brunnem. ad l. 31. ff. de jurej. conf. Böhmer assert  
de collis. probat. c: I. §. 13. 14. seqq. nisi favorablem causam fove-  
at actor, tunc enim favor causa præponderat & sententia pro ipso  
ferenda, c. 3. X. de prob. l. fin. pr. ff. de re judic. l. 38. ff. eod. l. 24.  
de manum. vind. l. 1. pr. ff. solut. matrim. l. 4. ff. de inoff. te-  
stam. Richter. ad c. 32. X. de probat. Carpz. c. l. n. 77. Böhmer d.  
c. 1. §. 17. Et hæc de probatione in genere præliminariter addu-  
xiisse sufficient, plura & fusissime enucleata vid. apud Martini, Carp-  
zov. Brunnem. Vnn. Nicolai aliosque.

## CAPUT SECUNDUM.

### DE FIDE TESTIUM DE AUDITV ALI- ENO DEPONENTIUM.

#### S. I.

**M**odus probandi frequentissimus est qui fit per testes, &  
quia hi utramque paginam in hisce probationibus fa-  
ciunt, exque illorum dictis sententiae condemnatoriae,  
hominum fortunas, existimationem aut vitam, quibus rebus nihil  
est orbe terrarum pretiosius, adimentes, pronunciantur, hinc ju-  
re meritoque tum in habilitatem seu qualitatem, tum dicta & de-  
positiones testium diligentissima facienda est indagatio, ceu in plu-  
ribus Juris textibus hoc inculcatur. Sic enim Modestinus Ictus  
in l. 2. ff. de testib. in testimoniis, inquit, dignitas, fides, mores,  
gravitas, examinanda, Idem urget Arcadius Et in L. 21. in fin.  
ff. eod. confirmabit judex motum animi sui ex argumentis & testi-  
moniis, & qua rei aptiora & vero proximiora esse compererit:  
non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimo-  
niorum fidem & testimonia, quibus potius lux veritatis assedit, id  
quod repetit Pontifex in c. 32. X de testib. afferens: ad multi-  
tudinem tantum non ressidiendum esse, sed ad testimoniū qualitatem &  
ad ipsorum deposita, quibus potius lux veritatis assedit, ex quibus  
motum

553.

552 (19) 553

motum animi sui convenit Jūdicem informare. conf. cap. 9. X. de probat. add. l. 3. §. 1. 2. ff. de testib. & c. 3. IV. qu. 3. Habilitas testimoniū tempore depositionis & examinationis in considerationem venit, l. 3. §. 5. ff. de carb. edict. nam quoties testimonii dictio est veritatis, toties tempus depositionis, non actus celebrati insufficiendum est, quia in depositione testes fidem facere debent judici. Zoel. ad ff. tit. de testib. n. 4. Hinc si tempore depositionis testis sit inhabilis, antea vero cum actus celebratus esset, integræ fidei, ad testificandum non admitti debet, c. 22. X. de testib. modo pars adversa de testimoniū inhabilitate excipiat, alioquin tacito suo consensu eos approbassi censemur, c. 31. X. de testib. neque enim jūdicem ex officio repellere posse, volunt per l. 4. §. 8. ff. de damn. inf. Carpz. Proc. tit. 20. art. 5. §. 2. 3. & L. 3. Resp. 87. n. 12. Stryck. us. mod. ad ff. tit. de testib. Lauterb. Colleg. theor. pract. tit. cod. §. 37. Richter. ad d. c. 31. de test. Et hanc iententiam usus fori tueretur. Putarem ego tamen, jūdicem etiam ex officio perjurum excommunicatum, aut tali impedimento, quod omnem plane fidem enervat, laborantem repellere posse & debere, l. 7. ff. de postul. idque ne examen evadat frustraneum, tum quod caput est, ut evitentur juramenta frustranea & otiosa, adeoque nomen sanctissimum supremi rerum conditoris non in vanum assūmatur, quod omnimodo aprobo & cordato jūdice præcavendum est, alias delicti socium se quasi constituit, quia non impeditivit, ubi impeditio non solum debebat, sed etiam poterat. Sed nec ex silentio semper tacitus consensus præsumi debet, cum non nunquam justa silentii causa subesse possit, vid. c. 31. X. de testib. imo ipse jūdex cognoscere debet, quanta fides testi habenda sit, vid. l. 3. §. 1. ff. de testib. Quinam vero testes sint habiles vel inhabiles, de eo impræsentiarum agere nostri non est propositi, evolvi poterunt præter Comment. ad tit. ff. & Cod. Carpz. Proc. tit. 13. art. 5. 6. Martini Proc. Sax. tit. 20. Vmm. de proc. disp. 16. Farinac. tr. de testib. aliisque.

C 2

§. II. De-



## §. II.

*Depositio testium* debet esse esse clara , categorica & conclaudens, non obscura dubia & incerta, vid. Carpz. *in proc. tit. 13. art. 3.* Martini *Proc. Sax. tit. 20.* Farinac. *d. tr.* & quidem de propria scientia testimonium perhibendum est, hoc est, de eo quod ipsi testes viderunt & audiverunt, aut per aliquem corporis sensum recte & vere percepérunt atque cognoscere potuerunt, per L. 16. C. *de testib. Ordin. Crim. Car. V. art. 65. c. 15. III. qu. 9.* minus vero de eruditate aut de auditu alieno. Est vero auditus alienus, ubi rem aliquam ipsi auribus non percipimus, sed ab alio nobis narratam audimus. A fama differt in eo, quod in priori sc. in auditu alieno sufficiat, si testis dicat se ab uno alterove audivisse, sed testis de fama debet audivisse a plurimis, nec enim famæ nomen meretur, quod auditur ab uno alterove. Marquard. Freher. *de fama L. 1. c. 6. n. 18.* De ejusmodi itaque testibus in genere notandum, eos neque in *Civilibus* neque in *Criminalibus* probare, c. licet ex quadam 47. X. *de testib. c. 15. III. qu. 9. c. 3. V. qu. 2.* vid. *Ordin. Crim. Car. P. art. 56. ibi: so sie* (die Zeugen) aber von Freunden Hören sagen würden / das soll nicht genügsam geachtet werden ic. Menoch. *de arbitr. Jud. L. 2. cas. 475. n. 4.* Farinac. *de testib. L. 3. tit. 7. qu. 69. c. 1. n. 2.* Hector Emil. *tr. de testib. rubr. testis auditum alienum deponens, n. 5.* Pacian. *de probat. L. 1. c. 9. n. 11.* Cavalcan. *de testib. P. 3. n. 157.* Carpz. *de Proc. tit. 13. art. 3. f. 8. n. 53.* Martini *ad Proc. Sax. tit. 20. f. 2. n. 377.* Myns. 6. O. 58. Hartm. Hartm. *L. 2. tit. O.* aliique plures. Testis si quidem debet deponere de eo quod novit & percepit per proprium sensum, non autem per sensum alterius, ceu antea diximus, cum per auditum auditus non percipiatur veritas sensus, sed solummodo quædam relatio veritatis. Dein in omni legitimo testimonio testis scientiæ suæ causam reddere tenetur, sed hoc in teste de auditu alieno fieri non potest, causa enim scientiæ debet esse manifestior dicto, cum ex ea hujus dependeat veritas, hoc autem casu utrumque incertum est, causa videlicet & ipsum testimonium. *Judex enim non audit a teste & ex ejus dicto certus non redditur,* ideo

84.

ideo de causa querit, si igitur ab alio se audivisse testis respondet, ignotum per aequum ignotum ostendit, vid. Bartol. de Saxo ferrato tract. de testib. n. 10. Farin. d. qu. 69. n. 2. Carpz. c. l. Sed et si ejusmodi testis dicat, se audivisse ab homine qui praesens fuit actu, aut viro honesto & magnae autoritatis, nihil magis tamen ea propter probabit, Bartol. d. tr. de testib. n. 10. an enim autor actu in terfuenterit, hoc non vident testis, sed ex relatione faltem habet, an etiam vera locutus sit ille, a quo audivit testis, dubium admodum est, nec de eo ulla ratione ipsi constare potest, præterea autor ista extra judicium reculit sine solenniter praestito coram judge & parte adversa praesente juramento, quo deficiente nemini habetur fidis, licet sit vir gravis & in dignitate constitutus, vid. L. 9. 16. 18. C. de testib. c. 20. III. qu. 9. c. 5. 17. in fin. c. 51. X. eod. Gail. I. O. 101. n. 1. Carpz. de proc. tit. 13. art. 4. §. 8. Ergo nec fidem facere potest is qui alterius dicta tantummodo recenset, non enim plus copiae credendum quam Originali.

§. 111.

Licet autem testimonium de auditu non faciat plenam probationem, facit tamen secundum communem Dd. opinionem indicium & aliqualem praesumptionem, Aegid. Boss. de testib. n. 42. Hector. Emil. de testib. rubr. test. audit. alien. depon. facit. praesumpt. n. 12. Farin. de testib. d. qu. 69. n. 32. Pacian. de probat. L. 1. c. 9. n. 31. seq. Mascard. de probat. v. 1. concl. 137. n. 4. Menoch. de arbitr. jud. L. 2. cas. 475. quæ tamen praesumptio hoc effectu non gaudet, ut sit oneris probandi translativa, ceu voluit Menoch. c. l. n. 5. Dec. conf. 272. n. 3. Hondon. v. i. conf. 17. n. 49. 50. aliique Dd. magno numero a Camill. Borell. summ. decis. tom. 2. tit. 13. n. 28. allegati, sed tantummodo adminiculativa est aliarum probacionum, cui sententiae adstipulantur Farin. c. l. n. 34. Hector. Emil. c. l. n. 8. Pacian. de prob. c. l. Natta conf. 170. n. 2. Fachin. L. 11. controv. 66. & plurimi Dd. moderni. Sane hanc sententiam contraria omni modo esse praefерendam, fatebitur, qui probe perpenderit, quod non omnis praesumptio transferat onus probandi in adversarium, sed ea tantum quæ eousque valida, ut si contrarium non probetur, judge eam in con-

demnando sequi posset, Andreoli *controv. forensi* 104. *in fin.* alioquin hoc d<sup>r</sup>e<sup>s</sup>p<sup>o</sup> & in jure nostro παράδοξον exinde sequeretur, unius testis depositionem vel aliam quamlibet minus plenam probationem, imo etiam levissimam præsumptionem & suspicionem rejicere onus probandi in adversarium, & per consequens ad condemnationem esse sufficientem. Atqui vero testimonium de auditu alieno tantam fidem non facit, ut aliquis Judex in ea se fundare posset ad condemnandum adversarium ubi contrarium non probaretur, cum ex ejusmodi testimonio aliqualis saltem, seu admodum levis oriatur præsumtio, quæ nihil aliud est quam suspicio. Aliam rationem adducit Natta *conf. 170. n. 2.* si enim, inquit, testes de ipsius partis confessione extrajudiciali absente adversario facta déponentes ipsum confidentem onere probandi non gravant, *per l. 6. §. 3. ff. de confess. l. fin. ff. de interrog. act.* multominus profecto testes de auditu alieno tantum deponentes adversarium contrarii probatione gravabunt, cum minorem virtutem habeat dictum ejusmodi testis, quam confessio partis. Adduci ergo tantum potest hæc præsumtio tanquam adminiculum probationis, sive ut adjumentum sit ei qui probare debet, non vero ut transferat onus probandi in adversarium.

#### S. IV.

In causis Criminalibus dicta præsumtio sola & per se adeo levis est, ut ne quidem ad capturam iussiciat, Anton. Conciolti *in resolut. crimin. rubr. de testib. resol. 4.* Farinac. *d. qd. 69. n. 12.* Clasen. *ad Ord. Crim. Car. F. art. 6.* Durum namque & admodum iniquum fore, si judex ex relatione alicujus, qui se audivisse dicat, Titium tale delictum commisisse, ipsum, præterim si homo bona famæ & integræ opinionis fuerit, statim carceri mancipare velit, cum hoc ad manifestam incarcerati tendat injuriam, illiusque sic honor nobilititer diminuatur, & sint qui mallent vita quam ejusmodi famæ jacturam facere. Et licet innocens dein deprehensus absolvatur, macula tamen ita contracta tam facile non purgatur, nisi manifesta calumnia propter quam innocens carceribus mancipatus fuit, etiam in vulgo notissima sit. Accedit quod capture sive carcer sit species

85.

(23)

ties quædam torturæ , cum incarcerati squalore carceris non parum torqueri videantur , vid. l. 15. §. 41. ff. de injur. add. l. 7. pr. ff. de pos. ubi carcer dicitur mala mansio, ibique Gothofred. in not. Roland. a Valle vol. 3. conf. 17. n. 2. Eapropter etiam multi Dd. talia ad capturam desiderant indicia , quæ semiplenam faciunt probationem & ad torturam sufficiunt , inter quos Hippol. de Marsil. in pract. §. constante n. 1. Angel. Aretin. de malefic. verb. quod fama publica n. 4. Roland. a Valle c. l. ad quid enim , inquit Fichard. v. 2. conf. 108. n. 3. judex aliquem caperet , si ob defectum indicitorum & probationum ulterius ad torturam procedinon posset ? quam opinionem non modo communem sed & aquorem vocat Farinac. prax. crim. tit. 4. qu. 27. n. 116. Sed contrarium quoad hoc posterius dispositum reperiit in Ord. Crim. Car. V. art. 6. pr. & art. 11. secundum quam sufficiunt indicia leviora & remotiora , quam quæ ad torturam requiruntur, Schilter. ad ff. Exerc. 6. Carpz. prax. crim. qu. 105. n. 50. Ut itaque vir bonus & integer , vel, quod perinde est, pro tali semper habitus , ex libertate in servitutem detrudatur & carceri concludatur , adesse debent indicia idonea, glaubwürdige redliche Anzeigungen / Verdacht und Argwohn , ut loquitur Car. V. in Ord. Crim. art. 6. tale autem indicium testimonium de auditu alieno facere nequit , maxime cum presumtio ex testimonio de auditu oriens per bonam famam sine dubio elidatur , Farin. c. l. & haberent alioquin calumniatores & inimici exoptatissimam occasionem, quemlibet probum & insignem virum incarcerari facere , dicens, Titium. tale delictum commisisse , vel quod fecerit, audivisse. Inquirendum ergo est iudici prius generaliter , ex qua generali inquisitione si gravetur Titius , & delictum majoris momenti sit, tunc capturam adversus eum decernere poterit. Imo si Titius persona fuerit levis malaque famæ, also daß Ihme dergleichen Verbrechen leicht zu zutragen sey / hujuscemodi testimonium satis potens erit ad capturam, quia adversus tales personas leviora admittuntur indicia , quam contra personas in dignitate constitutas, integræque famæ , Carpz. prax. crim. qu. 105. n. 52. Farin. d. qu. 27. n. 126.

S. V. Ex.



## S. V.

Ex modo adductis quilibet nunc facili negotio dijudicabit, testimonium de auditu alieno aliis non concurrentibus adminiculis multo minus torturæ locum facere posse : quia enim tortura res est gravis & magni præjudicii, corporibusque hominum maxime noxia, & quandoque lethalis, hinc non quælibet vanæ leves & perfunditoria suspiciones sufficiunt, sed valde urgentia & gravia indicia adesse debent, de quibus *Ordin. Crim. art. 20. slegg. ibique Manz. Blumblach. Stephani &c. add. Zanger & Tabor de indic. & tortur. Excipiunt nonnulli Crimen Assassinii*, in quo testimonium de auditu indicium facere ad torturam volunt, vid. *Mascard. de prob. v. i. concl. 137. n. 4. Guirb. conf. 41. n. 30. & conf. 70. n. eod. Anton. Concioli resolut. crim. rubr. assassinium, resolut. 6. n. 3. Speckhan. cent. 3. cl. 2. qu. 3.* Sed quia hoc nuspian in Jure nostro expressum reperitur, merito contrariam sententiam amplectimur, tuitiusque regulæ, quod se. *Judex ad torturam sine legitimis & sufficientibus indicis devenire non debeat, inhæremus*, ne innocens ad torturam & post ad supplicium rapiatur, nam quo majus est periculum, eo cautius procedendum est, c. ubi periculum 3. de elec. in 6to. consentiunt Carer. *præt. crim. in 2. tr. de indic. & tortur. Farin. de testib. qu. 60. n. 17. & in prax. crim. qu. 27. n. 80. Ciriac. controv. 150. n. 60. 61.*

## CAPVT TERTIVM.

*SVBJICIT CASVS NONNVLOS, QVIBVS TESTES  
DE AVDTIV ALIENO DEPONENTES PLE-  
NE PROBANT, VNA CVM REQVI-  
SITIS NECESSARIIS.*

## S. I.

**E**xposuimus præcedenti capite quanta fides testibus de auditu alieno deponentibus regulariter adhibenda sit tam in Civilibus quam in Criminalibus, hoc loco breviter recen-

febri-

sebimus potiores casus, quibus ejusmodi testes plenam faciunt fidem, postmodum paucis subjungemus qualiter comparatum esse debeat hoc testimonium, ut tali effectu gaudere possit. Notandum ergo, quod in factis antiquis quæ hominum memoriam excedunt, testimonium de auditu alieno plene probet, Carpz. Proc. tit. 13. art. 3. §. 8. n. 59. Donell. L. 25. c. 14. lit. D. Menoch. de arbitr. jud. cas. 475. n. 10. Myns. 6. O. 58. n. 2. Farin. qu. 69. c. 3. n. 125. Pacian. de prob. L. 1. c. 9. n. 45. Nam quia hoc tempus omnem terminum atque initium memorie hominum excludit, & sic proprio auditu vel visu facta hæc probari nequeunt, utique hoc casu testimonium de auditu alieno admittendum erit, siquidem quando difficilis est probatio, lex contenta est illis probationibus quæ haberi possunt, & præsumtiones, indicia & conjecturæ, habentur pro plena probatione, arg. l. s. §. 6. ff. de remil. Honded. conf. 17. n. 54. Cravetta de antiqu. temp. p. 1. membr. ult. n. 30. Faciunt hoc verba Jcti Pauli in L. 2. §. 8. ff. de aqu. & aqu. pluv. arc. Idem Labeo ait cum queritur an memoria extet facto opere, non diem & Consulem ad liquidum exquirendum, sed sufficere si quis sciat factum, hoc est, si factum esse non ambigatur, nec utique necessaria est superesse qui meminerint, verum etiam si qui audierint eos, qui memoria tenuerint, jung. l. si arbiter 28. ff. de prob. ibique Gloss. Evidem scio Mascard. concl. 104. n. 16. seq. Cravett. tr. de antiqu. temp. p. 1. membr. ult. n. 3. 4. 5. aliosque Dd. distinctionem facere inter ea quæ sui natura facile possunt probari, sicuti est probatio dominii antiqui, & quæ sui natura probatu difficultia qualis est probatio consanguinitatis, ita ut hoc casu tantum testimonium de auditu fidem faciat, non vero priori, sed ego existimo, nullam hac in re esse differentiam, quandoquidem ob temporis diuturnitatem ea censetur effecta difficilis probationis, quæ alias facilis probationis erant, Menoch. de arbitr. jud. L. 2. cas. 475. n. 11. consentit Farin. tr. de testim. d. qu. 69. n. 139.

## §. 11.

Hactenus adducta imprimis sibi locum vendicant in probatione finium antiquissimorum, modo expresse testes testentur se audiatis

fe a suis majoribus & eorum aliquos nominent, sicuti infra dicetur §. 8. conf. Hieron. de Monte tr. de finib. reg. c. 52. per tot. Mascard. L. i. concl. 395. n. 4. Ruland. de commiss. p. 2. L. 6. c. ii. n. 6. Brunnem. ad l. ii. ff. de finib. reg. n. 3. item in probatione fideicommissi antiqui, Natta conf. 378. n. 6. Alex. conf. 116. & ad causam debendi probandam etiam testes de auditu in re antiqua sufficere, tradit Brunnem. Cent. 4. Dec. 1. in fin. Vbicunque enim ob antiquitatem probatio per visum est impossibilis, probatio per auditum sufficit.

Admittitur secundo testimonium de auditu alieno in probanda consanguinitate, vel affinitate, ceu apparer ex c. 5. XXXV. qu. 6. ibi: quicquid inde scis & audisti a tuis vicinis aut a tuis propinquis antiquioribus, & c. 5. X. de testib. ibi: vel totidem senioribus & melioribus loci ejusdem, id quod plenius expressit Pontifex in c. licet ex quadam 47. X. de testib. in verb: licet ex quadam necessitate prater communem formam olim ficerit institutum in consanguinitatis & affinitatis gradibus computandis valere testimonium de auditu cum propter brevem hominum vitam testes de visu depone non valerent usque ad gradum septimum computando, quia tamen pluribus exemplis & certis experimentis didicimus, ex hoo multa pericula contra legitima provenisse conjugia, statuimus, ne super hoc recipiansur testes de auditu, cum jam quartum gradum prohibito non excedat, nisi forte persona graves extiterint, quibus fides sit merito adhibenda &c. Idque procedit non solum si agatur de probanda consanguinitate in causa matrimonii, sed etiam si agatur de successione & hereditate. Farinac. d. q. 69. c. 2. n. 104. Masc. L. i. concl. 104. n. 19. Cum enim probatio consanguinitatis & affinitatis res sit difficultissima, eo quod sub sensum corporis cadere nequeat, Mascard. de probat. v. i. concl. 49. n. 1. idcirco merito depositioni testium de auditu alieno tanto magis locus dandus est, postquam etiam ea quæ sub sensum non cadunt, per conjecturas, indicia & præsumtiones probabantur, arg. l. 6. ff. de his qui sui vel alien. jur. Carpz Proc. tit. 13. art. 2. §. 8. & in Iprud. Forens. p. 3. C. 13. def. 29. item L. 3. Rep. 65. n. 6. seqq. Knipschild. de fidei-comm. famil. c. 14. n. 9. 12. seqq.

§. III. Ter-

## §. III.

Tertio testimonium de auditu alieno fidem facit, quando quis Examini ad perpetuam rei memoriam instituto interfuit, de que isto actu deponit. Casus hic esto: Titius obligatum sibi habet Cajum sub aliqua certa conditione, is quia ante hujus existentiam cum effectu agere non valet, metuens ne interea temporis veritas occultetur & probationis copia fortuitis casibus subtrahatur, producit testes, & ut a judice examinantur, petit, quo ita de Jure suo quocunque tempore constare queat. Huic actui Mevius & Sempronius interfuerunt, testesque productos jurare & a judice examinare viderunt & audiverunt, hi ipsi si postea de effatis testimoniis a Titio productorum testantur, non obstante, quod sint testes de auditu tantum, valide deponunt. Et ita tenent Dd. communiter, vid. Farin. *de testib. qu. 69. n. 71.* Pacian *de probat. L. I. c. 9. n. 49.* Hect. Emil. *tr. de testib. rubr. testis de auditu alieno probat. n. 80.* Sed fortean non male quis dixerit, Mevium & Sempronium hoc casu non de auditu alieno sed potius de proprio depone-re, non enim propterea in judicium deducuntur, ut deponant de ipsa re, hoc est de ipsa obligatione Caji, siquidem haec jam antea sufficienter est probata, sed tantum modo de iis, quae testis in perpetuam rei memoriam examinati, ratione istius obligationis edixerunt, quae certe non alieno sed proprio percepérunt sensu, & sic u-tique firmiter probabant.

## §. IV.

Quarto fidem meretur testimonium de auditu alieno in factis quae contigerunt tempore pestis, si adsit penuria personarum, ita, ut testes qui de visu vel proprio auditu deponere possint, facile non reperiantur, prouti consuluit Cephal. *conf. 776. n. 14. L. 5. add. Farin. d. qu. 69. n. 55.* Hector Emil. *d. tr. pag. 275.* Quinto: propter favorem innocentiae & defensionis, qui qualis & in quantum sit productus, irregularia illa circa ejus probationem in criminalibus judiciis recepta satis testantur, multaque hic, alias non permissa, permituntur, Gail. *L. I. de pac. publ. c. 18. Wefemb. P. I. conf. 19. n. 61. seq.* Theod. *disp. crimin. ult. th. 6. lit. c.* Et facit

pro hac assertione, quod admittantur testes de credulitate, pro-  
uti docent Carpz. *prax. crim.* p. 3. qu. 115. n. 76. Berlich. *P. I.*  
*concl.* 36. n. 25. Ergo & idem in testibus de auditu, cum in hoc a  
pari procedant. Hond. *conf.* 100. n. 35. v. 1. Cephal. *conf.* 678. n.  
75. Hercul. *de prob. negat.* n. 309. & 314. Hinc etiam Dd. for-  
mant regulam, quod in omni casu, in quo testimonium de cre-  
dulitate admittitur, ibi etiam testimonium de auditu alieno admittat-  
ur, cum credulitatem testimonium de auditu inducat. Handed. *v. I.*  
*conf.* 15. n. 38. Farin. *d. qu. 69. n. 62.* Pacian. *de probat.* L. I. c. 9. n. 42.

S. V.

Sexto contra producentem ejusmodi testes plenam inducere  
probationem non solum in Civilibus sed & in Criminalibus, & con-  
tra fiscum, affirmarunt Gabriel. *L. I. tit. de testib. concl.* 1. n. 14. 15.  
Cephal. *conf.* 65. n. 55. *L. I.* & 168. n. 52. Brunn. *conf. crim.*  
115. n. 14. Cothmann. *v. I. conf.* 37. n. 118. Vmm. *ad proc. disp.* 16.  
6. II. n. 83. Joseph. Ludov. *comm. opin. concl.* 70. cum produ-  
cens non possit reprobare personam vel dictum testis a se produ-  
cti, arg. *L. 7. ff. de bon. libert.* l. 12. C. *de assed. & domeft.* etiamsi  
contrarium sibi depositur, cum ejus fidem producens semel ele-  
gerit. Sed huic Dd. opinioni simpliciter subscribere dubitamus,  
inde quod nulla lege cautum reperiatur, non licere excipere con-  
tra dicta testis a se producti, ejusque allegata impugnare. Con-  
tra testis personam non licet producenti excipere, per *L. 17. C. de*  
*testib.* quia scire potuit producens, an testis sit habilis an minus,  
sed non potuit scire ante depositionem & publicationem quid esset  
dicturus, ergo pro persona testis producti est producentis consen-  
sus, sed non æque pro ejus dictis, utpote quæ possunt utique re-  
felli, ceu quotidie fieri videmus, *conf. Brunnenm. ad d. L. 17. C. de*  
*testib.* Gratian. *discept. forens.* Marant *de judic.* p. 6. *tit. de test.*  
*repulsa* n. 12. Imo nec ex productione depositionis publicatae po-  
test dici approbatum dictum, ut ex ea contra producentem plena  
induceretur probatio, si in partibus favorabilibus tantum fieret  
productio. Handed. *v. 2. conf.* 51. n. 82. & *conf.* 84. n. 49. 50. Et  
sic testes de auditu alieno contra producentem non probant, quia  
isto

isto casu defectus dicitur in dicto, & non in persona, consentit Hon-  
ded. d. cons. s. n. 72. ibique alleg. Dd.

## S. VI.

Septimo testibus de auditu alieno creditur in probanda posse.  
sione quoad possessorum summarium seu summarissimum, Pacian.  
de probat. L. 1. c. 9. n. 50. hoc enim, cum tantummodo sit præpara-  
torium possessori principalis seu ordinarii, Gail. L. 1. obs. 7. n. 2.  
adeoque exiguum subsit præjudicium, quod per possessorum ordi-  
narium facile iterum tolli potest, hinc etiam admodum leves & in-  
sufficientes admittuntur probationes, Menoch. retin. poss. remed. ult.  
n. 34. Rauchbaur. p. 2. gw 6. n. 64. & testes saltem non tam ad pro-  
bationem quam ad judicis informationem hic adhibentur; aliud vero  
dicendum quoad possessorum ordinarium, in quo, cum possessio  
eiusque vel acquisitio vel amissio magni semper sit præjudicii, legiti-  
mis & plenis probationibus opus esse volunt Menoch. adipisc. remed.  
15. n. 408. quam Camera sequitur teste Gail. L. 1. Obs. 7. n. 2. Licet  
vero differentiam possessori ordinarii & summarii vehementer im-  
pugnet Petr. Frider. Mindan. tr. de interd. cap. 13. n. 24. seqq.  
eamque confitam, falsam, fucatam, & magis Dd. somnio, quam ul-  
libi in Jure fundatam afferat, negari tamen nequit, fatente etiam  
ipsomet Mindan. c. l. differentiam illam Praxi hodierna & obser-  
vantia forensi nemine fere Dd. dissentiente esse approbatam, in-  
super & in Camere receptam, vid. Ordin. Cam. p. 2. tit. 21. in fin.  
Gail. 1. obs. 7.

## S. VII.

Superest, ut paucis nunc percurramus requisita, ad effectum  
plenæ probationis hisce & similibus in casibus, de quibus passim  
apud Interpp. producendum, necessario observanda. Requiritur  
autem 1) ut adhibeantur testes plures ad minimum duo: *quoties*  
*enim nihil certi in jure determinatum de numero testimoniū reperitur,*  
*toties duo sufficiunt*, pluralis enim locutio duorum numero con-  
tenta, L. 12. ff. de testim. unde vulgatum illud: *in ore duorum, stat*  
*omne verum* Vnius itaque testimonium, cum secundum solitū  
judiciorum ordinem neque in civilibus neque in Criminalibus regu-  
lari-

lariter admittatur , et si testis præclaræ curiæ honore præfulgeat , prout loquitur Imper. in L. 9. §. 1. C. de testib. neque hic sufficit : nam vox unius , vox nullius , unus testis , nullus testis , ein Zeug / kein Zeug . Quod expresse etiam confirmat Pontifex in cap. lucet ex quadam 47. X. de testib. ibi : nec tamen si unus a pluribus , vel infames ab hominibus bona fama acceperint , quod testantur , tanquam plures & idonei testes debent admitti , cum secundum solitum judiciorum ordinem non sufficiat unius testis assertio , etiam si praesidiali refulgeat dignitate . Secundo requiritur , ut testes sint personæ graves , d. cap. 47. ibi : nisi forte personæ graves extiterint , quibus fides merito sit adhibenda . Graves autem hoc loco non dicuntur ii , qui in dignitate & honore sunt constituti , sed qui sunt bonæ famæ & integræ opinionis , fide digni , non suspecti , leves aut infames , cujuscunque alias conditionis sint , prout ulterius apparent ex text. d. c. 47. vers. nec tamen in verb: infames ab hominibus bona fama acceperint , quod testantur , tanquam idonei testes debent admitti : item actus legitimi infamibus sint interdicti , add. Gloss. hic ad verb: persona graves . Vno verbo : Graves hic dicuntur , qui sunt omni exceptione majores , qui ita sunt comparati , ut eis nihil opponi possit , nulla inhabilitas , nullus defectus , die universemndt und sonst mit keiner rechtmäßigen Ursach zu veriverffen seyn / ut loquitur Imp. Car. V. in Conf. Crim. art. 66. Sed quæritur an hæc qualitas gravitatis & fidei articulati & probari debeat ? Affirmat hoc Farinac. tr. de testib. qu. 69. n. 85. & 94. Sed contrarium nobis videtur verius : quia ille qui producit testes habet præsumptionem juris pro se , cum omnes testes præsumantur idonei vel omni exceptione majores , donec ab adversa parte contrarium fuerit probatum , Franc. Curt. de testib. consl. 31. n. 75. Mafcard. de probat. v. 2. concl. 878. pr. verb. idoneus .

## §. 11 X.

Tertio requiritur , ut testes sic de auditu deponentes nominent personas a quibus audiverunt. Merckelbach. apud Klock. v. 4. conf. I. n. 442. Itaque in probanda consanguinitate deponant necesse est , se testificata didicisse ab antiquioribus vel majoribus suis , per

per d. cap. 47. X. de testib. vers. nisi forte & vers. testes autem add.  
cap. 7. X. eod. in fin. Notandum quod Gloss. ad d. cap. 47. verb:  
antiquioribus suis, putet per antiquiores seu majores intelligi an-  
tiquiores eorum, de quorum consanguinitate vel affinitate agitur,  
non autem ipsorum testium, quod an menti Pontificis conveniens  
sit, dubito. Sic etiam in probandis factis antiquis hominum me-  
moriam excedentibus, testes deponere tenentur, non solum vi-  
disse se ita fieri, & nunquam vidisse contrarium actum, sed etiam  
a majoribus suis & senioribus se audivisse ita factum fuisse, nec un-  
quam aliter, vid. l. 2. §. 8. ff. de aqu. & aqu. plur. arc. Gail. 2.  
O. 66. n. 3. Hinc articuli probatoriales ita formari solent :

Wahr und zeugen wissend / daß producent und seine  
Vorfahren 10. 20. 30. 40. 50. und mehr Jahr / weit über  
Menschen Gedenken / mit denen Schafe aus den Vor-  
werck N. auf der von N. Feldern / Ackern und Flur gehütet  
und getrieben haben.

Ferner wahr und Zeugen wissend / daß sie es nicht  
allein für ihre Person also gesehen / sondern auch von ih-  
ren Eltern und Vorfahren solches gehört / und nie anders  
erfahren noch gehöret haben. Imo non sufficit si testes in ge-  
nere tantum deponant, se a suis majoribus audivisse, sed insuper  
specialiter & nominatim designare tenentur, a quibus effata sua au-  
diverint, idque haud difficulter cognosci potest ex eo, quod Pón-  
tifex in alleg. cap. 47. vers. nisi forte in verb: nec ab infamibus, X.  
de testib. requirunt autores, a quibus sc. testes sua testificata didi-  
cerunt, debere esse fide dignos, non suspectos aut infames. Quis  
autem non videt, hoc non posse aliter cognosci, nisi tales auto-  
res specialiter nominentur, cum enim, quando quid conceditur,  
videantur concessa omnia, quae ad id sequuntur, necessario exin-  
de sequitur, autores specialiter & nominatim esse designandos, ne-  
que sufficere, majores tantum in genere denominasse. Nec obſt. verba  
textus nostri in d. cap. 47. vers. testes autem ibi: Et in suo nibilominus  
juramento concludant se accepisse a suis majoribus quod deponunt.  
Resp. enim, hæc verba per ea qua in textu vers. nisi forte in verb: nec

ab

*ab infamibus & suspectis*, præcesserunt esse limitanda, restringenda, declaranda: neque enim novum, quod sequentia intelligatur secundum ea quæ præcedunt, per l. 17. & l. 50. in fin. ff. de legat. i. Et ista autoris denominatio his & similibus in casibus adeo necessaria est, ut testis simpliciter de auditu alieno deponens, nec exprimens a quibus audiverit, nihil probet. Hinc etiam non interrogatus ipse addere debet, a quibus audiverit. Natta cons. 170. n. 5. Cephal. cons. 250. n. 23. Mascard. de probat. concl. 395. n. 7. Klock. v. i. cons. 29. n. 660.

## §. IX.

Ipsæ autem personæ a testibus specialiter denominatae debent esse a) fide dignæ & omni exceptione majores, non infames aut suspectæ, cum satis videretur absurdum, illos admitti, quorum repellerentur autores, per verba expressa, d. c. 47. vers. nisi forte ibi: nec ab infamibus. Quando itaque testis dictum suum audivit ab ipsa parte adversa vel interessata, nullam fidem facit: nam quando autori vel autoribus alicujus dicti vel facti non habetur fides, multo minus credendum est iis, qui ab illo vel illis acceperunt vel audiverunt, quia is qui audivit aliquid ab alio, non potest superare fidem autori sui, & absurdum foret, plus copiæ credere, quam Originali. Hiltrop. proc. judic. p. 3. tit. 9. c. 6. n. 141. Merckelbach apud Klock. v. 2. cons. 43. n. 65. b) mortua, vel ita procul abesse, ut eorum præsentia non facile speranda: alioquin si adhuc in vivis, ipsæ producendæ & examinandæ sunt, adeo, ut harum examine neglecto, non modica oriatur contra producentem suspicio, ex qua fides testium de auditu deponentium non solum diminuitur, sed & omnino tollitur, quia tunc non solum non probant, sed ne quidem indicium & presumptionem faciunt, Honded. cons. 17. n. 46. Menoch. de arbitr. jud. L 2. cas. 475. n. 6. γ) debent esse plures ad minimum due. Vnde si testes ab uno tantum testificata dicissent, eamque nominassent, non procederet illorum testimonium, quia unus ille non sufficeret, si viveret, per verba expressa d. cap. 47. vers. nisi forte ibi: non utique ab uno, & omnes illi qui causam habent ab uno, pro uno solum reputantur, arg. l. 56. in fin. ff. de

ff. de condit. & demonstr. Gloss. ad d. cap. 47. verb: ab uno. Joh.  
Petr. surd. dec. 12. n. 12.

## S. X.

Sed hic non inconcinnæ queritur, utrum testes autores suos nominantes, effata sua debeant audiisse ab iisdem, an vero etiam a diversis personis? Et non valere testimonium de auditu alieno, nisi testes hoc audiverint ab iisdem personis & quidem eodem loco & tempore, defendunt Gloss. ad d. cap. 47. X. de testib. verb: ab uno, Menoch. de arbitr. jud. L. 2. cas. 475. n. 3. Pacian. de prob. L. 1. c. 9. n. 42. Mscard. de probat. L. 1. concl. 104. n. 12. 13. 14. Cephal. conf. 250. n. 24. & plures alii hinc inde a Dd. allegati, moti ea ratione, quod testes qui testificata sua audiverunt a personis diversis sint testes singulares, cum singuli deponant de singulis ac distinctis autorum suo relationibus, testes autem singulares non probant. Verum nihil interesse puto, an testes relationes suas habeant ab iisdem an vero a diversis personis, utroque enim casu valide probabunt, per text. in d. cap. 47. vers. nisi forte ibi: testificata sua didicerint ab antiquioribus quidem suis. Adstipulanuntur Felin. Innocent. Laymann. ad cap. 47. X. de testib. Pirhing. ad Decretal. tit. eod. §. 139. Neque omnis singularitas infringit testimonia, hinc communiter distinguunt inter singularitatem obstativam, diversificativam, & admiculativam, Struv. S. I. Civ. Ex. 28. §. 48. Gilhauf. arb. judic. civ. c. 6. p. 2. art. 1. n. 122. Obstativam seu adversativam vocant, si dicta testimoniis inter se repugnant, diversificativam, si testes deponant de actibus non contrariis sed diversis se mutuo non adjuvantibus, admiculativam, quando testes depo- nunt de actibus diversis se mutuo adjuvantibus ad probandum id quod queritur, idque dupliciter contingit i) si queratur de facto sua pte natura successivo ac reiterabili aut habente extensionem, sive partes, ex quibus totum aliquod coalescit v. gr. num Titius hester- na die fuerit in civitate, & unus testis dicat, quod viderit eum hora 9. matutina alter hora tertia pomeridiana, similiter si queratur de exercitio iectionis, & unus testis dicat, tale castrum habere me- rum imperium seu jus gladii, quia vidit ibi reum aliquem capite plecti,

E

alter

alter vero dicat, se vidisse quempiam in eo loco [laqueo] suspendi, aut si quæstio sit de possessione v. g. fundi vel agri, & unus testis deponat, quod viderit eum a Titio arari, alius seminar, alius messem ex eo colligi. Et talis probatio sufficit ad plenam fidem faciendam, Gail. 2. O. 66. n. 12. 2.) testes singulares adminiculantes sequi mutuo adjuvantes censer debent, si de uno particulari seu speciali facto sit quæstio, sed indefinite ac veluti generatim, v. gr. num Titi ius 1000. debeat Cajo, tum si unus testis deponat de veritate actus, alter de confessione ejusdem censemur se mutuo adjuvare etiam ad plenam probationem faciendam. Sic etiam in probanda v. gr. consanguinitate per testes de auditu alieno deponentes, quæstio est: utrum aliqui inter maiores de consanguinitate testificati fuerint? quo casu testes singulares qui dicunt se audivisse a pluribus diversis personis, v. gr. conjuges esse consanguineos, adminiculante probant & sese coadjuvant ad plenam fidem faciendam, quia licet eorum depositiones sint diversæ, tamen ad eundem finem tendunt, quia omnes testantur id de quo per se ac principaliter queritur, nempe an sint consanguinei, unde si respectu ejusdem finis concordent testes, licet tempore & in actibus discordent, testimonium subsistit, quia varietas temporis & actus non diversificant id de quo substantialiter & principaliter queritur, Felin. ad cit. c. 47. X. de testib. n. 2. limit. 2. Imo major est præsumtio pro consanguinitate, quando unus dicit se audivisse a duobus, alter vero ab aliis duobus, quam si duo dicant se audivisse ab iisdem duobus, quia priore casu factum magis censetur sparsum sive ad plures famam ejus permanasse, quam posteriori, Abb. add. cap. 47. n. 9.

### §. XI.

Quarto requiritur, ut testes dicta sua audiverint ante litem motam, per text. expressum in d. cap. 47. vers. nisi forte ibi: & ante litem motam testificata didicerint. Nam post litem motam facile contingere posset, ut hi, a quibus testes hoc audiverunt, fuerint subornati ad sic dicendum in præjudicium partis adversæ, vel etiam ut lis mota hanc famam secum trahat. Ut ergo in tam fra-

gili

gili probatione omnis cestet suspicio, requiritur ut id, quod depo-  
nunt, didicerint ante item motam, alioquin depositio adeo nulla  
est, ut ne presumptionem quidem faciat, Cephal. cons. 85. n. 36. &  
conf. 250. n. 28. Mascard. de probat. v. 1. concl. 140. n. 4. Pacian.  
de probat. L. 1. c. 9. n. 39. Menoch. d. cas. 478. n. 14. Farin. de te-  
stib. d. qu. 69. n. 96. quod tamen iterum limitat Mascard. d. l. quan-  
do sc. testis in alio loco qui longissime ab eo, ubi lis mota est, di-  
stat, illud audiverit, quo casu etiam post item motam probaret,  
cum longinquitas loci in causa sit, ut omnis suspicio abesse vide-  
atur. Testes itaque ad hoc ut probent, expresse & specificie tem-  
pus auditionis exprimere tenentur, cum non relevet hoc casu sim-  
plex attestatio de auditu alieno sine expressa designatione tempo-  
ris, ex quo illud dictum est ambiguum, cum lite jam mota id a sub-  
ornatis quibusdam senioribus audiisse potuerint, Hondon. v. 1.  
conf. 17. n. 47. Klock. v. 1. conf. 29. n. 659.

## S. XII.

Quinto: ut testes constringantur juramento, d. cap. 47. vers.  
testes autem, omnium enim testationum vis ac potestas dependet  
ex testium jurejurando, ut nec aliter fidem faciant quam si juratae  
sint, L. 9. C. de testib. c. 5. & 23. X. eod. idque in tantum procedit,  
ut, licet testis sit vir gravis aut religiosus, non aliter ipsi credatur,  
nisi juratus deposuerit, vid. c. 20. III. qu. 9. c. 51. X. de testib. Carpz.  
proc. tit. 13. art. 4. §. 8. Gail. 1. O. 101. n. 1. Hoc autem jura-  
mentum in eo consistit, ut testes jurent, 1) se non privato odio  
neque amicitia neque aliquo commodo quod habuerint, vel quod  
habent vel habituri sint, inductos, ad ferendum testimonium veni-  
se, 2) se credere ita esse, quod audiverunt, per text. express. in cit.  
cap. 47. in verb: testes autem hujusmodi proprio juramento firman-  
tes, quod ad ferendum testimonium in causa ipsa odio, amore ti-  
more, vel commodo non procedant, & paulo post: & in suo nihil  
minus juramento concludant se accepisse a majoribus suis quod de-  
ponunt, & credere ita esse, add. cap. 5. X. de testib. Denique si  
agatur de probanda consanguinitate vel affinitate hoc insuper ne-  
cessarium est, ut testes personas nominibus propriis vel æquipollen-

tibus indicis designent, & ab utroque latere singulos gradus clara computatione distinguant, vel incipiendo a communi stipite, vel saltem a fratribus, d. cap. 47. vers. testes autem, & cap. 7o. X. de consang. & affinit. add. c. 1. XXXV. qu. 5. insimulque deponant, quod viderint tales consanguineos saltem in unico graduum sive proximo, sive remoto, sic pro consanguineis se invicem tractare, d. cap. 47. X. de testib. in fin.

Tantum.

---

## COROLLARIA A RESPONDENTE ADJECTA.

**R**atihabitionem Patris nuptias liberorum sine ejus consensu contractas de Jure Civili reddere ab initio etiam justas ac legitimas, verius mihi videtur.

Transactionem nondum inspectis testamenti tabb. esse validam, Juris rationi & legibus magis est conforme, utut Lauterb. *Comp. Fur. tit. de transact. pag. 54. circa fin. & Dd. communiter contrarium teneant.*

Juramentum Judiciale deferri potest, etiam si deferens nihil plane probaverit.







Altdorf, Diss., 1770-11

X 234 4169



G. 8. num. 25.  
F. 14. 17

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Farbkarte #13

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

MAGNIFICI JCCTORVM ORDINIS  
IN HAC ALMA VNIVERSITATE ALTDORFINA  
AVTORITATE ET INDVLTV,

DE

1711.1

# PROBATIONE PER TESTES DE AVDITV ALIENO DEPO- NENTES.

P R A E S I D E

JOH. JODOCO BECKIO, D.  
ILLVSTRIS REIPVBL. NORIMBERG. ADVOC.

AD D. MARTII A. MDCCXL.

H. L. Q. C.

PVBLINE DISPVTABIT

JOHANNES GEORGIVS TRÖLSCHIVS  
WEISSENBURGO-NORICVS.

TYPIS KOHLESII ACAD. TYPOGR.

